

nobilius, perfectius, ac proinde verius quid est in mente nostra idea Dei, quam alterius rei cujuscunque.

10. D. Gerhardus de Neufville de naturali rerum creatarum veritate agens Physiolog. lib. 1. cap. 17. aph. 10. sic scribit: *res nobilioris essentia, quæ divina perfectionis similitudinem plenius puriusque suscipiunt, etiam veritate præcellere, cujusmodi sunt res spirituales cum corporeis comparata.* Quæ si pari ratione ad ideas sive imagines rerum in mente nostra existentes applices, nullam ideam Dei veriore reperies, quippe quæ in ipsa divinarum perfectionum similitudine repræsentativa tota consistit.

Corollaria.

11. Ex dictis magis adhuc demonstratur idearum secundum esse vicarium sive objectivum consideratarum realitas, de qua in superioribus actum fuit. Nam si veritatem habent idæ, & aliæ alias veritate præcellunt, habent etiam realitatem aliæ aliis majorem: veritas enim, realitas, entitas, perfectio hoc loco idem revera valent.

G 3

12. Quia